



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

Geismar, Justus Moritz von

Coloniæ Agrippinæ, 1691

Ad tit. VII. de Hæreticis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

servus eripitur in libertatem. *Gonz. ad cap. multorum. 2. h. t.*

Judæi inter Christianos commorantes veteres Synagogas reparare valent, novas verò erigere nequeunt. *Gonz. ad c. Judæi 3. h. t.*

Christiani deferentes ad Saracenos arma, vel in ipsorum navibus regimen exercentes, excommunicantur, rebusque privantur & captivitas servi fiunt. *Gonz. ad cap. ita 6. h. t.*

Judæi seu pagani non debent præfici officiis publicis inter Christianos, aut in eos jurisdictionem exercere. *Gonz. ad c. cum sit 16. h. t.*

AD TIT. VII.

De Hæreticis.

AD num. 1. in medio post verb. pertinaciter adde Non est hic acriter & mordicus suum errorem tueri, sed est eum retinere, postquam contrarium est sufficienter propositum; sive quando scit contrarium esse ab Ecclesia definitum. *Bulsenb. lib. 2. tit. 1. c. 4. dub. 3.*

Ibidem ait esse hæreticum, qui affirmativè de aliquo fidei articulo dubitat, id est, judicat esse dubium. Dicitur affirmativè. Quia negativè tantum dubius, id est, suspendens judicium, per se & simpliciter non est hæreticus, quia non habet judicium; ergò nec erroneum, modò tamen non ideò suspendat, quod virtualiter judicet, non liquere de certitudine objecti.

Rustici aliique homines simpliciores in Germania, qui hæretici habentur, & tamen pertinaces non sunt,

possunt absolvi à suis Parochis, qui non sunt hæretici formales, habentque fidem Catholicam in Baptismo susceptam, quæ non perditur, nisi errando pertinaciter.

Ibid. §. 8. Lapsus in hæresim non tenetur in confessione explicare qualis illa sit, eò quod sint omnes ejusdem speciei, alii tamen contrariam tenent.

Dubius in fide hæreticus est. *Gonz. ad c. 1. h. t.*

Scripta hæretici ab Ecclesia damnati damnata sunt, atque ita configenda comburenda. *idem ad c. 4. h. t.*

Episcopus hæredem instituens hæreticum seu paganum, consanguineum vel extraneum, etiam post mortem anathematizatur & nomen ejus ad diphthichæ defunctorum tempore Missæ aut non recitatur. *Id. ad c. 5. h. t.*

Hæretici & eorum Factores seu Receptatores excommunicantur, & ita decedentes Ecclesiastica sepultura privantur. *Gonz. ad c. 8. h. t.*

Ad num. 13. adde. Credentes, Defensores &c. excommunicantur, & elapso anno, nisi resipiscant, fiunt infames. *Gonz. ad c. 13 §. Credentes h. t.*

Liberamur ab omni obligatione, qua hæreticis tenebamur obstricti. *Id. ad c. 16 h. t. Pagnanus,*

AD TIT. VIII.

De Schismaticis & Ordinatis ab his.

ORdinationes factæ à Schismaticis nullæ sunt, quoad exercitium gradus, nisi dispensatum fuerit cum ita ordinatis. *Gonz. ad c. 2. h. t.*

M

AA